Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. V. De ordine Minorum, deq[ue] tribus regulis à S. Francisco institutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

Visual Library

nimo tamen ex meditationibus & ſeruorum Dei colloquijs magnam capiebat voluptatem. Claruit & ſpiritu Prophetico, cùm plura arcana & futura aperuerit. Denique anno recluſionis 64. ætatis 80. migrauit ad ſponſum anno ſalutis 1367. die 19. Martij. In æde ſancti Thomæ, quæ eſt Ordinis Prædicatorum, ſepulta, miraculis non paucis fulſit. Sic ferè Ph. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Eius vitam fusè ſcripſit Donatus Lagus ordinis Prædicatorum, & Papiæ an. 1599. edidit.

CAPVT V.

De Ordine Fratrum Minorum, deque tribus Regulis à S. Franciſco inſtitutis.

FRANCISCVS, Aſsiſij in Vmbria natus, patris exemplum ſecutus, à prima ætate mercaturam fecit. Qui quodam die pauperem pro CHRISTI amore flagitantem pecuniam, cùm præter conſuetudinem repuliſſet, repentè eo facto commotus, largè ei miſericordiam impertiuit: & ex eo die Deo promiſit, ſe nemini vnquam poſcenti eleemoſynam negaturum. Cùm verò pòſt in grauem morbum incidiſſet, ex eo aliquãdo cõfirmatus, cępit ardẽtiùs colere officia chari-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tatis. Qua in exercitatione tantùm profecit, vt euangelicę perfectionis cupidus, quidquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquiùs pater, eum ad Aſſiſinatem Epiſcopum duxit, vt coram illo bonis cederet paternis: qui reiectis etiam veſtibus, patri conceſsit omnia, illud ſubiungens, ſibi in poſterum maiorem facultatem fore dicendi, *Pater noſter qui es in cœlis.*

Cùm autem illud ex Euangelio audiſſet: *Nolite poſsidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque*
Matt. 10 *duas tunicas, neque calceamenta:* ſibi eam regulam ſeruandam propoſuit. Itaque detractis calceis, & vna contentus tunica, cùm duodecim ſocios adhibuiſſet, Ordinem Minorum
1209. inſtituit. Quare Romam venit anno ſalutis milleſimo ducenteſimo nono, vt ſui ordinis regula ab Apoſtolica Sede confirmaretur. Quem cùm accedentem ad ſe ſummus Pontifex Innocentius tertius reieciſſet, quòd in ſomnis poſtea ſibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranenſem Baſilicam ſuis humeris ſuſtinere viſus eſſet, conquiſitum accerſiri iuſsit: benigneq́ue accipiens, omnem eius inſtitutorum rationem confirmauit. Franciſcus igitur, dimiſſis in omnes orbis terræ partes fratribus ad prædicandum Chriſti Euangelium, ipſe cupiens ſibi aliquam dari martyrij occaſionem, nauigauit in Syriam: vbi à Rege Soldano liberaliſsimè tractatus, cùm ni-

nihil proficeret, redijt in Italiam.

Multis igitur exſtructis ſuę familiæ domicilijs, ſe in ſolitudinem montis Aluerni cõtulit: vbi quadraginta diebus, propter honorem S. Michaelis Archangeli, in ieiunio & oratione conſumptis, feſto die exaltationis S. Crucis, ei Seraphim, crucifixi effigiem inter alas continens apparuit: qui eius & manibus & pedibus & lateri veſtigia clauorũ impreſſit: quę S. Bonauẽtura, cũ Alexãdri IV. ſũmi Põtificis prædicationi intereſſet, narraſſe Pontificẽ à ſe viſa eſſe, literis cõmendauit. His inſignibus ſũmi in eũ Chriſti amoris maximã habebat omniũ admirationẽ. Ac biẽnio poſt grauiter ęgrotãs deferri voluit in Eccleſiã S. Marię Angelorũ: vt vbi ſpiritũ gratiæ à Deo acceperat, ibi ſpiritum vitæ redderet. Eo in loco fratres ad paupertatẽ, ac patientiã & ſanctæ Romanę Eccleſię fidẽ ſeruandã cohortatus, Pſalmũ illũ
pronuntians, *Voce mea ad Dominum clamaui*, in *Pſal. 141*
eo verſiculo, *Me exſpectant iuſti, donec retribuas*
mihi, efflauit animam IV. Nonas Octobris. Anno
Quem miraculis clarũ Gregorius Nonus Põ- 1226.
tifex maximus in Sanctorum numerum adſcripſit, an. 1228. biennio ſcilicet poſt obitum. Tanta erat ſanctitatis illius apud omnes opinio.

Vniuerſi ordinis Franciſcani Hiſtoriam, quam Seraphicam vocãt, accurratè ſcripſit Franciſcus Gonzaga, primùm generalis Miniſter eiuſdem ordinis, pòſt Epiſcopus Man-

tuanus, addito Catalogo Prouinciarum ac monaſteriorum omniũ dicti ordinis. Quod vtinam reliquorum ordinum, præſertim mẽdicantium, Præfecti generales æmulentur.

De viris doctrina ſcriptiſque illuſtribus ex illo ordine exſtant Henrici VVillotij Athenæ.

Ceterùm S. Franciſcus tres Ordines, ac totidem Regulas inſtituit; vt in die eius feſto canitur:

Tres Ordines hic ordinat,
Primumq́; fratrum nominat
Minorum, pauperumq́;:
Fit Dominarum medius,
Sed Pœnitentum tertius
Sexum capit vtrumque.

1. Primus Ordo ann. 1206. inſtitutus, *Conuentuales, Obſeruantes, Capucinos,* & *Recollectos* cõplectitur.

2. Secundus Ordo anno 1212. per S. Franciſcum ſimiliter inſtitutus, eſt monialium *Clariſſarum,* quarum aliæ dicuntur *Damianiſticæ,* aliæ *Vrbaniſticæ*. Dicuntur autem Damianiſticæ à primo conuentu S. Claræ, qui eſt S. Damiano ſacer. Id nomen habent omnes ex moniales, quæ mitigationem Regulæ ab Vrbano Papa factam non admiſerunt, ſed in ſummo diſciplinæ ac paupertatis rigore perſtant: quales ſunt *Pauperes Clariſſæ*, vt vo-

can-

cant, *Coletanæ* & *Capucinæ*.

E contra *Vrbaniſticæ* dicuntur, quæ Vrbani Papæ mitigationem admiſerunt, & à vulgo *Diuites Clariſſæ* nunc vocantur, quòd annuos reditus habeant.

Tertius Ordo an. 1221. inchoatus complectitur viros & feminas, domi ſuæ iuxta præſcriptum tertiæ Regulæ viuentes. Complectitur quoque Religioſos votis monaſticis adſcriptos, & tertiam iſtam Regulam ſeruãtes. 3.

CAPVT VI.

De Sanctis ordinis Minorum.

INter Sanctos ordinis Minorum, poſt S. *Franciſcum*, eminent S. *Bonauentura* Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus, S. *Berardus* martyr cum ſocijs, S. *Antonius Paduanus*, *Sanctus Bernardinus*, *Sanctus Ludouicus* Epiſcopus Toloſanus, *S. Didacus*, *S. Ludouicus* Rex, *S. Elzearius*, *S. Iuo*, & alij, quorum vitas in vnum volumen redactas Antuerpiæ publicandas R. P. Henricus Sedulius curauit. Ceterùm operæ pretium me facturum putaui, ſi ex Catalogo Sanctorum Italiæ per Philippum Ferrarium edito viros illuſtres aliquot ſubnecterem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN